MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81310-3

AUTHOR:

AHLEMEYER, J. B.

TITLE:

DISPUTATIO DE LOCO Q. HORATII FL. SATIR...

PLACE:

PADERBORN

DATE:

1847

Master Negative #

93-81310-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Ahlemeyer, J B

...Disputatio de loco Q. Horatii Fl. Satir. I. 6, 42-44, von dem director. Paderborn, Junfermann, 1847.

10 p. 21½ cm.

At head of title: Dreiundzwanzigster jahresbericht über das Gymnasium Theodorianum zu Paderborn ...mit welchem zu den öffentlichen prüfungen... einladet der director... Dr. J. B. Ahlemeyer...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 4-21-93 INITIALS m.D.C.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Dreiundzwanzigster Jahresbericht

über das

Gymnasium Theodorianum

zu Paderborn

in dem Schuljahre 1846 – 47,

mit welchem zu den öffentlichen Prüfungen in der Aula am 28. und 30. August ehrerbietigst einladet

der Director des Gymnasiums

Professor Dr. J. B. Ahlemeyer.

Voran: Disputatio de loco Q. Horatii Fl. Satir. I. 6, 42 — 44.
Von dem Director.

Paderborn 1847.
Druck der Junfermann'schen Buchdruckerei.

DISPUTATIO

DE LOCO HORATII SATIR. I. 6, 42 — 44.

AT HIC, SI PLOSTRA DUCENTA CONCURRANTQUE FORO FUNERA TRIA, MAGNA SONABIT CORNUA QUOD VINCATQUE TUBAS.

Horat. Sat. 1. 6.

Legenti mihi saepenumero cerebroque eum, quem indicavimus, Horatii locum regustanti quaerendum esse visum est, quid esset, cur viri doctissimi, qui tum nostra memoria tum longo tempore ante ediderunt Horatium, omnes quod sciam singuli duas illas voces „funera" et „magna" arctissimo inter se, quantum equidem iudicare potui, vinculo coniunctas interposita vel maiore vel minore distinguendi nota separarent atque seiungerent. Habet enim eas isto pacto diremtas editio Lipsiensis ann. 1492, Ascensiana a. 1506, Lugduniana a. 1533, Parisiensis a. 1543, Basiliensis a. 1560, G. Xylandri a. 1575, G. Fabricii a. 1585, H. Stephani a. 1585, F. Ceruti a. 1585, G. Bersmanni a. 1602, D. Lambini a. 1640, J. Dousae a. 1611, E. Lubini a. 1612, P. G. Chaboti a. 1615, C. Schrevelii a. 1658, J. Bondii a. 1690, P. Rodellii a. 1690, L. Deprezii a. 1695, J. Min-ellii a. 1695, R. Bentleii a. 1711. A. Cuningamii a. 1711, A. Dacerii a. 1727, Londinensis a. 1747, J. Juvencii a. 1751, N. S. Sanadoni a. 1756, aliae. Quod hoc etiam mirabilius debet videri, quia notum est et apud omnes per-

vulgatum, veteres scriptores et, quorum beneficio exemplaria ad nos antiqua pervenerunt, librarios distinguendi notis tamquam externis intellectus adiumentis atque adminiculis aut prorsus abstinuisse aut multo parcius quam nos usos esse. Scilicet illi, hebraicos si exceperis, artem discrimina in scriptis variaque illa adhibendi artificia, quibus orationi nos lucem quaerere solemus, nondum habebant excultam. Unde is igitur, id quod mihi quaerendum fuit, tam certus in re incerta consensus? Accedit, quod plerique, quos difficile est enumerare, interpretes et veteres et recentiores, et ii, qui summam ex Horatio interpretando nacti sunt laudem et quorum apud me plurimum valet auctoritas, vestigiis eorum, quos ante diximus, ingressi nomen illud adiectivum „magna" adverbii loco esse positum statuerunt.

Ego vero dum ista mirarer volveremque animo, id mihi sine temeritatis nota duxi sumendum, ut aliorum auctoritate remota rem omnino cum re vellem comparare. Quod ubi dedita opera feci, hoc iudicium animi mei, quod ante statueram, duas illas voces „funera" et „magna" inter se iungendas copulandasque esse, omnino mihi visum est probari. Cur ita credam, possum afferre. Dicitur enim Horatianus ille Novius populo Romano esse gratus, quod tantam edere potest vocem, ut quemlibet strepitum et sonitum superet. Quod ut magni esse momenti demonstretur, primum plostra numero satis multa, non tria, non decem, non viginti, immo ducenta uno eodemque loco concurrentia apte ab Horatio ante oculos ponuntur. Quaenam inde et hominum, aurigarum agitatorumque, et iumentorum equorumve vecturariorum exoriatur necesse est concursatio! Adde locum ipsum, ubi concurrant, esse forum Romanum, rerum tum venalium tum iudicialium atque voluptatis caussa maxime celebratum. Quodsi nunc animo expenderis illum in tanta et hominum et animalium et rotarum multitudine strepitum, illos in diversa vocantium clamores, illa periclitantium convicia: nonne pergratum existimabis esse tribunum plebis, qui ea praeditus sit vocis magnitudine atque splendore, in tanto tumultu ut accipi possit consilium eius atque imperium audiri? Neque vero id satis habuit Horatius, ducenta in rem suam adduxisse plostra; sed tria iuxta posuit funera una cum iisdem concurrentia. Haec autem funera, ut ab initio dicam quod sentio, paribus ab Horatio examinata ponderibus esse videntur. Sed rem altius lubet repetere.

Apud homines Romanos duo in usu erant funerum genera: unum tacitum, quum homo pauper et minus locuples, privatus et plebeius sive is, quem ignotum dicunt, efferebatur per silentium, tempore vespertino, sine ulla pompa, nullis paucisve ad exsequias cohonestandas convenientibus; alterum indictivum, quod hominis ampli et copiosi ornandi caussa omni apparatu atque honore maximaque civium frequentia celebrabatur, velut funera censoria. Funus autem censorium si cui facerent, certa per praeconem indicebatur formula, et populus, in illud ut prodiret, evocabatur. Circiter horam diei tertiam quartamve mortuus ex aedibus efferebatur, designatore suis cum lictoribus pompam funebrem ordinante. Praeibant et siticines h. e. tibicines et cornicines, qui apud sitos seu vita functos canere solebant, ita multi, ut eos XII tabularum legibus ad certum numerum paucitatemque deceret revocari; et mulieres ad lamentandum mortuum conductae, quas praeficas vocabant. Sequebantur histriones et mimi, qui non solum docendi caussa sententias proferrent serias et graves reique praesenti convenientes, sed etiam iocularia colligendi risus caussa funderent. Iis se adiungebant liberti h. e. servi ex defuncti testamento manumissi. Hesterni, ut A. Persii verbis utar, illi Quirites hac prima vice pileati — pileus enim libertatis insigne erat — incedebant. Saepenumero autem morientes domini, mortuum ut eo plures prosequerentur, integras manumittebant familias; quae quidem manumittendi licentia ut coerceretur,

legibus et Aeliâ Santiâ et Fusiâ Caniniâ certus constitutus est numerus, ultra quem non valeret manumissio. Libertos pileatos imagines maiorum sequebantur, non eorum solum, qui lineâ directâ, sed etiam qui domum defuncti transversâ contingerent. Exemplum rei adiungam, ex annalibus Taciti sumtum: Junia, C. Cassii uxor, M. Bruti soror, quum apparatissimo funere efferretur, viginti clarissimarum familiarum antelatae sunt imagines. Praeferebantur etiam insignia honorum, quos defunctus administraverat, et spolia hostium tabulaeque, in quibus victoriae ab eo reportatae, urbes captae, gentes devictae conspiciebantur. Iis demum praemissis ipsum hominis mortui corpus, impositum lectica sive lecto funebri, ferebatur. Prosequebantur non haeredes solum, propinqui et necessarii, noti et amici, sed etiam homines extranei, nobiles atque plebeii, tota fere civitas. Ea autem pompa horâ commercio frequentatissimâ per forum, de cuius loci celebritate ante diximus, ducebatur, subsistebatur, pro rostris de mortui laude dicebatur, concurrebatur.

Quodsi funera eius generis tria animo effinxeris, computando eam demum efficies hominum multitudinem, quae ad numerum rationemque ducentorum illorum plostrorum vere possit accommodari. Tristia robustis, inquit Horatius in Epistolis, luctantur funera plaustris. Eccum vires inter se colluctantium haud dispares!

Quoniam igitur demonstratum est, adiectivum „magna“, utpote ex ipsa caussa natum, proprie cohaerere cum nomine funerum neve ab illo segregari oportere: nunc de ratione viaque, quam alii in loco illo interpretando sint secuti, dicendum erit. Moris est autem interpretum, ut, quod ante diximus, adverbii loco illud adiectivum positum esse statuant. Nihil habet id quidem dubitationis, quin antiqui poetae tum Graeci tum Latini adiectiva neutrius generis in numero vel singulari vel plurali adverbiorum loco posuerint. Sed illa duo vereor, ut viris

doctis possim concedere, unum, quod itidem ab Horatio pluralem adiectivorum numerum loco adverbiorum usurpatum esse dixerunt, alterum, quod illud „sonabit„ accessione vocis „magna“ egere sunt arbitrati. Scriptum enim video apud Horatium illud:

„Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem“;

et illud: „me voluit dicere lucidum
Fulgentes oculos“;

et illud: Plenoque Bacchi pectore turbidum
Laetatur“;

et illud: „Aderat querenti
Perfidum ridens Venus“;

et illud: „Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum“;
et illud: „Umbrae cum Sagana resonarent triste et acutum“;
et illud: „Reddes dulce loqui, reddes ridere decorum“;
et illud: „Quin etiam canet indoctum, sed dulce bibenti“.

Hi igitur loci adiectivis in singulari numero positis utuntur loco adverbiorum; eiusmodi vero locos, qui eum ad finem pluralem adhibuerint numerum, frustra quaeres apud Horatium. Neque enim perturbor, quod idem ipse protulit:

„Ingenium cui sit, cui mens divinior atque os
Magna sonaturum, des nominis huius honorem“.

Hoc enim dicere ausim esse dissimile, propterea quod hoc loco eum ab Horatio significari censeo hominem, qui ampla et sententiarum gravitate et maiestate verborum instructus latius possit et copiosius de magnis variisque rebus dicere, ita ut, si vere, quid caussa postulet, iudicas, adiectivum „magna“ non adverbii loco positum, sed per accusativum, quem vocant obiecti, dictum esse statuas. Ubi vero, id quod alterum erat, negamus, egere illud „sonabit“ accessione vocis

„magna“: mentem nostram ac cogitationem incitavimus ad haec, quae proxime apud Horatium sequuntur verba, „cornua quod vincatque tubas“. In iis enim ipsis, ut nobis persuademus, iusta illa et plena, quam interpretes desiderant, inest accessio. Nec vero audiendus est Cruquius, antiquus ille Horatii interpres, qui adiectivum „magna“ trans verbum „sonabit“ in substantivum „cornua“, ut sic loquar, transmigrare ibique firmam sibi ac stabilem coniunctionem iussit quaerere. Genus enim illud, quod traiectione verborum continetur, perlate quidem patet, praecipue apud poetas: ista tamen traiectio, quam Cruquius hoc loco esse statuit, ita mihi videtur comparata, ut nullo modo admitti queat. Etenim ego quidem sic statuo, cum prorsus in traiectionis, de qua agitur, genere servandum esse ordinem, ut verba, quae suo volunt moveri loco, in ea saltem parte sive membro orationis collocentur, cui lumen debent adhibere. Haec hactenus.

Unum est, quod adiiciam. Est etiam illa Kirchneri, viri de satiris Horatianis optime meriti, vera et iudice critico certe non indigna vox, si qui à corruptelarum sordibus veteres scriptores iudicando voluerint purgare, eorum mentem cogitationemque summopere oportere ad rectam dividendi distinguendique rationem dirigi, ibique esse campum, in quo et ingenii facultatem periclitari et veram alicuius scriptoris intelligentiam possint comprobare.